AUGUSTINI BUCCII ... AD SIXTUM QUINTUM PONT. MAX. ORATIO, IN PUBLICO...

Agostino Bucci

Digitized by Google

Digitized by Google

1146. 29

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1146
29
CXLVI
29
c.
Digitized by Google

1146.29

Digitized by Google

AVGVSTINI BVCCII

TAVRINENSIS ACADEMIAE PHILOSOPHI PRIMARII,

SERENISSIMIQ. ET EXCELSI PRINCIPIS CAROLI EM. SABAVDIÆ DVCIS ORATORIS

AD SIXTVM QVINTVM PONT. MAX. ORATIO,

In publico Conſiſtorio habita Illuſtr. & Eccell. Amedeo à Sabaudia S. Ramberti Marchione obedientiam præſtante. An. M D LXXXVI.



ROMAE, Apud Ioannem Martinellum. 1586.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Digitized by Google

AMPLISSIMO S. R. E. CARDINALI ALEXANDRO PERETTO SIXTI V. PONT. MAX. NEPOTI ILLVSTRISSIMO

AVGVSTINVS BVCCIVS S. D.

ORATIONEM noſtram Illuſtriſſime, & ampliſſime Cardinalis, ad Sixtum V. Pont. Max. auunculum tuum Caroli Em. Sab. Ducis nomine habitam, vt tibi nominatim inſcriberemus, non tam aliorum exemplum monuit, quàm rationes aliæ impulerunt. Cum enim tanti Pontificis, tibique ſanguine adeo coniuncti, ſtudia, mores, virtutes, reſque primis hiſce Pontificatus temporibus geſtæ; quarum gloria in te ſummæ ſpei Adoleſcente Cardinali facto, tamquam in ſpeculo hæreditario iure refulget, in ea attingantur; nemini magis, quàm tibi fuit hæc, quamuis breuis earum commemoratio dedicanda. Accedit ſingularis Ducis noſtri in eũdem ſummum Pont. eadem ipſa oratione teſtata obſeruantia: quæ ad te non ſolũ tamquam digniſſimum tanti Pontificis nepotem, ſed & veluti ſtudioſiſſimum eiuſdem imitatorem iure optimo ſpectare videtur. Quamobrem eam ipſam, licet à te in publico iam Conſiſtorio auditam orationẽ libenter ideo dicauimus, vt ea denuo per ocium perlecta, nõ modo optimi Pont. diuinas virtutes ſæpius admirans, Io. Angelo Papio viro optimo & eruditiſſimo tuorũ ſtudiorũ auſpice, & duce ad earum imitationẽ accẽdaris; verum etiam Principis noſtri ab auũculo in nepotem, totamque Illuſtriſſimam Perettam familiam, deriuatam obſeruantiam, & ſtudium aſsiduè agnoſcas; tantarumque laudum à ſummis Principibus viris profecta teſtimonia in vnum volumẽ colligas; eaque veluti perpetua, maiorum tuorum monumenta, vel potius incitamenta, ad perpetuam rei memoriam reponas. Vale.

QVOD

QVOD occulto, Dei immortalis conſilio, contingere plerum-
que ſolet, (Sanctiſſime, & Beatiſs. Pater) vt ſcilicet ſecundis in
rebus, nõ vnus modo proſper, & ſalutaris euentus hominibus
accidat; ſed potius acceſſione, ac veluti cumulo facto alter alte
ri ſuperueniat; id ſuperiori anno Carolus Emmanuel excelſus
Sab. Dux in ſeipſo fuit fœlici numine expertus. Cũ enim poſt
eius cum Catharina Philippi Hiſpaniarũ, Indiarum, nouiſque
Orbis Regis omnium memoria maximi & potentiſſimi filia
celebratas nuptias in magno Procerum, populorumque plau
ſu verſaretur; ad ſummam eius lætitiam, quam ex optimi Regis, totiuſque Regię ſobo
lis conſuetudine capiebat, magnus quidam de tuo Pontificatu nuntio accepto gaudij
cumulus acceſſit. Atque is eo gratior, & acceptior fuit: quo ex tua hac plane cæleſti aſ-
ſumptione non ſuis modo priuatis commodis; ſed & vniuerſę Chriſtianæ Reipub. vtili
tati recte conſultum eſſe intellexit. Quod accipias velim (P. ſanctiſſime) nõ tanquam
communi quadam eorum, qui ſummis pontificibus gratulantur, loquendi conſuetudi
ne dictum, ſed tanquam ex animo, ac re ipſa ita dictante pronuntiatum. Nam & inſoli-
ta illa popularis hilaritas, quam primo nuncio accepto, vniuerſus Chriſtianus orbis
publici veluti expectati boni augurium faciens oſtendit, & cauſſæ præterea multæ &
maximæ, quibus magna de te expectatio concitaretur, id ſignificare, vel potius pręmõ-
ſtrare videbantur. Quas quamuis notiſſimas ipſo tamen orationis curſu ita expoſcen-
te, priori eius parte attingere quoque pacto cogor, paucisque aperire, quam neceſſaria
fuerit, tua hæc in ſummum Pontif. creatio, quam benemerita, ac demũ quam lęta, pro-
ſperaque, omnia te Pontifice ſint ſperanda. Quibus breuiter commemoratis, eas, quę
ad excelſum Principem noſtrum ſpectant, rationes exponam, officiaq; perſoluam hu-
ius legationis præcipua. In quo officio præſtando ſi aliquid de tuis maximis excellen-
tiſſimiſq; virtutibus attingens ſingularem tuam modeſtiam offendero, ignoſcat quęſo
Sanctitas tua, ingenio audentiori, rerum dicendarum copia, & magnitudine capto. Vt
enim abſcondi nequit ciuitas ſupra montem poſita: Ita neque tantarum virtutũ ſplen
dor per te ex ſublimi hac Apoſtolica ſede, tanquam præcelſo monte nobis ad benè sã
cteq; viuendum pręfulgens, neque ſilentio pręteriri potuit, neque verò omitti ad no
ſtram inſtitutionem, & exemplum debuit. Cuius muneris in hunc vſque diem explen
di dilatio, pręterquam, quòd in varios rerum, nec cogitatos euentus referri debet, & id
præterea commodi attulit; vt eo etiam Carolus Emmanuel Dux noſter nõ ſuam mo-
do obedientiam ac legatione deferat, ſed & ſimul interim nati Principis præcocem ex
educatione domeſtica in ſacram hanc ſedem pietatem & cultum polliceatur; atque
item Sanctitati veſtræ non tam de ſummo Pontificatu, quàm quod cum magna cum
laude, & dignitate ſuſtineat; duplici nomine gratuletur. Vt verò ad tuæ huius in ſum-
mum Pontificem aſſumptionis neceſſitatem indicãdam aggrediamur, qualis nam fue-
rit, ac nunc etiam ſit Chriſtianę Reipub. ſtatus explorare, deſcribereq; oportet. Quẽ-
admodum enim non antea morbis remedia adhiberi ſolent, quàm ægrotantis, mor-
biq; natura inſpecta. Ita non aliunde tuæ huius creationis opportunitas commodius
iudicari poteſt, quàm Chriſtianæ Reipub. ſtatu deſcripto, quibuſq; vndique vrgeretur
incommodis, ad memoriam reuocatis.

Noſtrorum temporum conditio (Sixte Pontifex Maxime) ſi præteriti rerum exitus
præſenſq; ſtatus ſpectentur, pro regionum & locorum varietate multiplex, & varia, mi
ſtamq; mali, boniq; ſpeciem præſeferens videbitur. Vt enim de religione primum dica
mus, Chriſtianorum nomen, quod antea diuino fauente numine in omnes orbis terra-
rum partes longe lateq; diffuſum penetrauerat: nunc per Chriſtianorum Principum
diſcordias, & bella ab immaniſſimo Orientali Tyranno in hunc Europæ angulum reda
ctum, licet auctoritate auguſtiſſimum, imperio tamen & ditione anguſtiſſimum eſt red
ditum. Atq; vtinam, quædam ex ijs, quæ opibus, robore, virtuteq; præſtantes Prouincię

ſunt,quarumque armis innumera olim Saracenorum millia cecidere,magnaque Aſię
pars domita,debellataque fuit, non etiam inteſtinis bellis, religioniſque factionibus
premerentur.His malis grauiſſima Penuriæ calamitas acceſſerat: quę multas, maxi-
maſque Italiæ ciuitates,ac præſertim vrbem Romam ſummopere conflictabat. Sed &
nobiliſſimę Italię regiones,Picenum Vmbria, Agerque Romanus immo tota prope
Italia,varijs exulum incurſionibus,audaciſſimorumq;hominum cędibus & rapinis tur
babatur,adeo vt nemini per eam tutus pateret aditus:ſed potius omnia eorum licen-
tiæ,& libidini viderentur expoſita,nihilque magis in hominum ore eſſet,quã exules,
aut ſicarios inſignem aliquam cædem aut vim,aut aliud huiuſmodi perpetraſſe,Cum
talis eſſet religionis rerumq; noſtrarum ſtatus,quale tunc temporis fuerit Tyrannicũ
illud Turcarum imperium Chriſtiani nominis æmulum,videamus. Graue iamdudũ,
periculoſumque bellum ab Amurathe Turcarum rege, cui nihil magis cordi eſſe ſo-
let quàm exteros,aut finitimos aſſiduis incurſionibus,& populationibus infeſtare, ad-
uerſus Perſarum Imperatorem ſuſceptum, geſtumque fuit.In quo poſt multas vtrin
que clades acceptas eò deuentum eſt,vt Turca,qui veteri antea Tartarorum amicitia,
& copijs fretus, maiorum ſuorum victorijs clarus, opibus, pecunijs commeatibuſque
abundans,ducentena auxiliariorum millia ad nutum cogere conſueuerat, nunc inter
eum,& Tartaros diffidentia oborta tanto pręſidio deſtitutus, totque calamitatibus
acceptis,veteranorumque legionibus amiſſis debilitatus, & fractus, glorioſeque à no-
ſtris ſuperioribus annis ad Echinades obtẽtæ naualis victorię memor, Chriſtianorum
Principum conſpirationem,armaque tacite formidet. Hæc cum ita in Europa atque
Aſia atque omnino in Occidentali,Orientalique imperio inter Chriſtianos, Per-
ſaſque & Turcas,labente Turcarum fortuna proxime gererentur, in nouo etiam voca
to orbe remotiſſimiſque ,atque ab eo penitus diuiſis inſulis Chriſtiana fides miris in-
crementis pro moueretur:nonnullique Reges ab impio Idolorum cultu ad veri lumi-
nis claritatem perducti obedientiæ officium per legatos præſtitiſſent,Gregorij XIII.
mors improuiſa ſuperuenit.Quo circa rebus noſtris , ita inter ſpem & mœtum poſitis
dum rogatis pro nouo Pontifice deligendo Cardinalium comitijs pia vota,& preces
ad Deum fierent,prudentum ſermonibes & indagatione exquiri de more cœpit: quẽ
nam ex tot lectiſſimis patribus in ea temporũ, rerumque agendarum occaſione in sũ-
mum:Pontif.eligi expediret.In quo iudicio ferendo , vt inhumanis conſultationibus
ex fine primum recte conſtituto,media artificioſa ſerie inueniuntur ad eum adipiſcen
dum idonea:Non ſecus in optata Pontificis electione: omnes vno veluti veritatis ſpi-
ritu afflati in id maxime conſenſere ; eum ſcilicet Pont. eligi oportere:qui vt turbu-
lentas hęreſum procellas ſedaret,Religionis,pietatiſque ſtudio primum & maxime te
neretur;vt Principum lites,diſſidiaq; cõponeret,ijs omnibus gratus , neminiq; ſuſpe-
ctus foret,vt exulibus.& ſicarijs,Italiã expurgaret,eſſet in puniendiſs acinoribus ſeue-
rior;vt peſtis,penurięq; imminẽtibus calamitatibus occurreret,pietate in Deũ,ſedulita
teque erga homines valeret;ac tãdẽ,vt tã pulchrã rerũ Turcicarũ attendarũ, aut vero
omnino etiã abolendarum occaſionẽ,renouato inter Chriſtianos principes pio fœdere
arriperet,priuatarũ rerũ ſtudijs poſthabitis,omnes eius curas opes conatusq; & ſtudia
in vnius Dei cultũ,religioniſque decus & amplitudinẽ conferret.Quæ omnia ſi quis
accurate ad tui normam & exemplum expenderit: ita in te vnum conſenſiſſe animad-
uertet , vt nemo amplius in poſterum mirari debeat , te communi quadam omnium
ordinum acclamatione;ne dicam diuinatione,vel primo ipſo in conclaue ingreſſu;tan-
toque ac tam repentino ſummorum omnium Cardinalium conſenſu Pontificem ma
ximum fuiſſe renuntiatum . Vt enim à tuæ ante actæ vitæ ratione auſpicemur,tu in
D.Franciſci familiam,ſanctitate,pietate, doctrinaque nobiliſſimam adſcitus,in eaque
educatus,ita humanam Philoſophiam cum diuina ſapientia coniunxiſti , vt docentis,
diſputntiſque partes in celeberrimis tui ordinis Gymnaſijs magna cum laude ſuſti-
nueris:diuinum euangelicum verbum in ampliſſimis Italię ciuitatibus non minori po

pulorum

pulorum fructu,quã plauſu prædicaueris,ordinis tui ſacri officia & magiſtratus ſumma conſtantia & integritate geſſeris,ac tandem ad ſacræ inquiſitionis officium, ſupremamque tui ordinis præfecturã, Pij V. optimi olim Pont. atque in pernoſcendis, ponderandiſque hominum ingenijs acerrimi cenſoris iudicio fueris vltro ſponteque vocatus. In quibus omnibus muneribus alijsque maximi momenti negotijs, cum is idem ſummus Pont. ſingularem in rebus gerendis prudentiam, fidem eximiam, vitę integritatem, conſtantiamque, quibus ille virtutibus ad Pontificatum peruenerat in te ipſo recognouiſſet; te eadem veſtigia ſecutum in ſupremum hunc orbis terrarum ſenatum merito adſciuerat: atque ita adſciuerat, vt quemadmodum Gregorius XIII. a Pio Quarto Cardinalis factus, ei Pio V. interpoſito in Pontificatu ſucceſſerat: Ita & tu à diuini genij pontifice ſimul & cardinalis fieres, & ei in Pontificatu ſucceſſor alterno ſeruato ordine deſignareris. Munera verò, quę primis ipſis Pontificatus temporibus expectabantur, ita iam à S. T. præſtita, ac multa concepta, adumbrataque cernuntur, vt prudenti cuique faſſit, ex ijs, tamquam primis lineis ductis, atque ex Sixti, & Nicolai Quarti, Iulijque ſecundi ſummorum olim Pontificum imaginibus, quos tibi maxime imitandos propoſuiſti, qualem mente geras Pontificatus ſpeciem, ac quàm alta cõſilia animo verſes, conijcere, aut diuinare. Vt enim miſſa faciamus excelſi tui animi indicia, quæ Cardinalatus temporibus dediſti, præſertim vero egregij operis ſepulchrum, Nicolao Quarto magna pietate extructum; villæque tuæ, vel potius ad pias meditationes ſeceſſus fabricam, adeo magnifice inchotam, vt certior eſſe videreris eãdem paullo poſt te Pont. magnificentiſſimo cultu fore abſoluendam; tu ſtatim atque olium conſcendiſti, exuſcitata bellorum incendia litteris, legationibus, officijs magna ex parte compreſſiſti, Principum gratiam, atque animos tibi varijs officijs conciliaſti turbatas exulum & graſſatorum incurſionibus, vias non coactis, ſed dimiſſis militum copijs, non Principum auxilijs, non bellico apparatu: ſed vnico ſeuerioris cenſuræ diplomate dato ab illorum inguria vindicaſti; magna parſimonia magnam pecuniarum vim in ærarium ad Eccleſiæ vſus retuliſti, optimos Cardinales ad Reipub. gubernacula reuocaſti, annonæ caritatem tunc præſentem leuaſti, imminentem repuliſti; maioraque in dies moliens magnam quãdam de tuo hoc Pontificatu, quam nunc præclare ſuſtines, expectationem commouiſti. Hinc tibi ob illuſtria in Remp. merita S. C. ſtatua in Capitolio decreta fuit, in cuius locata baſi maximis litteris inciſum elogium legitur, quod cum res præcipuas à te geſtas complectatur dignum viſum eſt, quod in hoc auguſtiſſimo cœtu recitaretur. SIXTO V. PONT. MAX. OB QVIETEM PVBLICAM COMPRESSA SICARIORVM EXVLVMQ. LICENTIA RESTITVTAM; ANNONÆ INOPIAM SVBLEVATAM; VRBEM ÆDIFICIIS, VIIS, AQVÆDVCTV ILLVSTRATAM, S. P. Q. R. Dies me antea, lateraque deficient (Pater ſanctiſſime) quàm quod Sanctitatis Tuæ laudes, illuſtriaque facta: quæ mihi inter dicendum ocurrunt vltro recenſeam, aut vero quantam de te hominibus ſpem inieceris exponam. Quapropter non eſt mirandum ſi te tali, tantoque Pontif. facto Carolus Em. Princeps noſter incredibili fuerit gaudio perfuſus, vtpote is, qui præter eas, quas diximus lætitiæ cauſas, quę ei cum reliquis Chriſtianis Principibus communes fuere, alias quoque ad priuatas eius rationes pertingentes habuit: quibus non mediocriter commoueretur. Sciebat enim ſe, vt paterni Regni, ita & veteris obſeruantiæ, qua parens olim ſuus Em. Philibertus Sanctitatem V. colebat, ab eaque peramanter, perofficioſeque diligebatur, hæredem fuiſſe inſtitutum. Ad ſuam vero hanc hæreditariam propenſionem proprius quoque in eam cultus accedebat, quo eam ipſam honorificentiſſima virtutis meritorumque exiſtimatione proſequeretur. Atque pium hunc eius, debitumque affectum auxit, vel potius nouo obligationis vinculo obſtrinxit illuſtris illa tua declaratio, qua eundem Principem imperatorij gladij, pileique Margaritis, ſacræque columbæ ſpecie inſignis, Coniugem vero ſuam aureæ roſę muneribus, illis

quidem

Digitized by Google

quidem defenſionis, victorięq́; aduerſus Catholicæ fidei hoſtes, hoc verò lætitiæ in militante triumphanteq́; Chriſti Eccleſia ſymbolis, & auſpicijs liberaliſſimè donaſti; populoſq́; ſuos ad diuinum numen graſſante in Eporedia peſte precibus, & deuotione placandum apertis ſacri Iubilæi theſauris vehementer excitaſti. Sed ijs propenſi ſui in eā animi teſtimonijs, vna quædam omnibus Pontificibus communis obſeruantiæ ratio accedit, ex maiorum ſuorum imitatione ducta. Nam Emmanuelle Philiberto, Margaretaq́; à Francia optimis, ſacræq́; huius ſedis obſeruantiſſimis parentibus ortus, per Beroldum Saxonem primum Sabaudiæ Principem ab Otonibus de Catholica Eccleſia optime meritis *Cæſaribus*, perpetua quadam, nullaque vnquam impuritatis labe aſperſa, ſanguinis ſerie & ſucceſſione, originē repetit ſuam. Quin & affinitatum rationē, per multiplices cum ſummis Chriſtianę Reipub. Regibus, & imperatoribus: quorū glorioſiores tituli à Catholicæ religionis cultu profecti fuere, repetitas matrimoniorum coniunctiones; ac per eam qua nuper Catharina Philipphi nata, Henriciq́; ex Eliſabetha filia, Nepte in vxorem ducta, ſe denuo cum duobus ſummis illis Regibus affinitate deuinxit, Catholicis vndique & Chriſtianiſſimis titulis & exemplis ſiue inuitatus, ſiue incitatus, non poteſt à maiorum ſuorum fide tranſmiſſa pietate degenerare. Dicerem & de Sabaudien. Principū egregijs in ſummos Pontifices, vniuerſamq́; Dei Eccleſiā meritis: Dicerem, & de eiuſdē Principis, Regiæq́; Coniugis ſuæ excellēti in Deū pietate, in homines beneficentia, liberalitate, clemētia, rerumq́; præclariſſimarum obeūdarū deſiderio, niſi huic meo iuſto erga eos officio ſingularis illorū verecundia reclamaret: quę eiuſmodi eſt, vt eos nulla de re alia, quā de optima volūtate, honorificētiſſimaq́; virtutis expectatione laudari patiatur. Quapropter à Principū noſtrorū perſonis ad illorū Prouincias orationem trāsferes, pauca quędam de ijs, huic loco non inopportuna ſubijciā. Tota Principis noſtri ditio (P. Sanctiſſime) in tres partes diuidi commodi poteſt, in Tranſalpinā, quæ vltra Alpes Italiā à Gallia diuidentes ab occaſu, Sabaudos, & Sebuſianos, Briſſienſes nunc dictos; alioſq́; Populos iuxta Rhodanū, ad vrbis vſque Lugdunenſis proſpectum complectitur: Alpinam, quæ Centrones vocatos, alioſq́; Alpium incolas Viennenſibus & Heluetijs finitimos, atque à meridie Tendenſes, & Ceſpitellenſes, *Capillatos* olim dictos; totamq́; oram illam continet: quæ à Varo flumine per adiacentia iuga ad *Liguriæ* vſque ſubappenninæ planiciem extenditur. His ſubalpina ſuccedit: quæ ad Alpium radices ſita, quas veteres ab Herculis & Hannibalis tranſitu Graias, Peninas, & ſummas, recentiores noſtri Cenſium, Diuique Bernardi maiorem, minoremq́; mōtem vocant; per Salaſsios & Taurinos, ac per nobiliſsimas Aſtæ Pompeiæ, & Vercellarum ciuitates, Mediolanenſium; atque per Vneliā, & Niciam, *Genuenſium*, & Maſſilienſium fines attingit. Ex ijs Tranſalpina dicta ita ſe habet, vt pars ea, quæ Rhodanum, Lemanumq́; lacum ſpectat: in qua ſibi Hæreſiarchæ Babylonis ſedem conſtituerunt, ferociſſimis vndique gentibus cingatur: quarum magna pars à Catholica fide dirempta, diſſociataq́; eſt. Quę ita in ea, quam nomine profitetur, religione eſt inſtituta, vt nihil magis cogitet, & tentet, quàm vnà cum finibus hęreſum quoque peſtem ampliare, eamq́; per finitimas prouincias, ac præſertim per Italiam clandeſtinis concionibus, hæreticiſque ſcriptis & libellis ex profeſſo, ac veluti ex inſidijs ſparſis, diffundere. Sed Deus, magnus ille Deus, fidelium ſuorum miſertus, per principis noſtri perpetuas pro Catholica fide excubias tam nefariam cladem à ceruicibus noſtris hactenus auertit, eademq́; (vt ſperamus) miſeratione commotus; tuis præſertim (Pater Sanctiſsime) precibus & auxilijs in poſterum auertet, immo vero omnes impiorum machinationes funditus euertet. Ex quibus facile intelligere licet, Principis noſtri regnum, arcis munitiſsimæ inſtar eſſe, communiſque propugnaculi, in quo partim aduerſus Hęreticorum inſidias, partim vero per Niciam Liguſtici maris vrbem opportuniſsimam cōtra Turcarum conatus, pro Chriſtiana religione, pro ſacrę huius Sedis auctoritate, & dignitate, pro tranquillitate Italiæ, pro Clero & Populo, pro parentibus, vxoribus, liberiſque perpetua ſit contentione dimicandum. Quibus ſa

norū

ne nominibus præter veterem Sabaudię Principum in ſummos Pontif. obſeruantiã
promptamque & alacrem Car. Emmanuelis in S. V. voluntatem, locorum quoque
natura & ſitus poſtulat, vt ea peculiari quodam fauore & ſtudio rerum ſuarum patro-
cinium ſuſcipiat, diuiniq; animi iuuenem Principem paterno, quo cœpit, amore pro-
ſequatur. Ipſe vero interim Cathol. Principis, ſacręq; huius ſedis obſeruantiſſimi &
obſequentiſſimi munere fungi cupiens, cum per rerum ſuarum ſtatum non poſſet
huc, quod maxime cupiebat profectus, ad ſacros eius pedes procumbere, præter Caro-
lum Mutum vnum ex Romanis proceribus, Septimi Marchionem, Oratorem ſuum
Illuſtriſſimum apud te reſidentem, per Excellentiſſimum Principem Amedeum à Sa
baudia Sacræ Annuntiationis equitem Torquatum, Sanctiq; Ramberti Marchionem
fratrem ſuum ſanguine & amore coniunctiſſimum, Sanctitati Veſtræ perpetuę obediẽ
tiæ officium ſtudioſiſſime defert, & præſtat. Inſuper quantum ille opibus, copijs, ditio
ne, ac cum ſummis Regibus affinitatis coniunctione poteſt, id omne in tuum, ſacrique
huius ordinis decus libentiſſime conferet, vitam etiam pro ijs, vbi ſe ſe obtulerit occa
ſio alacriter profuſurus. Atque vt auſpicatiſſimo eius de S. V. iudicio & expectatione
orationẽ concludam; ille ita ſibi (diuino fauente numine) breui futurum pollicetur, &
ſperat, vt quemadmodum tres priores noſtrorum fere temporum Pontificatus, ſacri
Tridentini Concilij approbatione, Pij fœderis ſanctione, naualiq; ad Naupactum prę-
lio, & victoria omnium memoria maxima & memoranda, Iaponenſiumq; Regum, &
Populorum ad Chriſtianam fidem conuerſione celebres, illuſtreſque fuere: Ita tuus
hic, quem tibi nomine olim FELICI, nunc vero re ipſa fœliciſſimum eſſe augura
mur, & cupimus, hæreſum extirpatione, Prouinciarum pacatione, pij fœderis in Tur-
cas renouatione, diuinique nominis, & cultus in extremas orbis terrarum partes, Syna-
rum, Aureæ Cherſoneſi, reliquarumq; Iaponenſium inſularum prolatione auguſtiſſi-
mus, glorioſiſſimusq; ſis futurus. Deus interim bonorum omnium auctor & ſeruator,
votis hiſce noſtris propitius annuat. Tuq; SIXTE Pont. Max. qui *D*ei vice in terris
fungeris, omen hoc tibi, vniuerſæq; Chriſti Eccleſiæ fauſtiſſimum, auſpicatiſſimumq;
à nobis accipito. DIXI.

RESPON-

RESPONSIO SVMMI PONTIFICIS NOMINE
AB ANTONIO BVCCAPADVLIO SECRETARIO FACTA.

*CAROLI Emmanuelis Sabaudiæ Ducis fratris tui, Illu-
ſtris Orator, virtutem, animique magnitudinem admira-
tus eſt Sanctiſsimus Dominus noſter ex eo tempore, cum
ille adoleſcens, pene potius puer res præclariſsimas, catho
licæq; Eccleſiæ optatiſſimas aggreſſus, conatusq; eſt. Quo
quidem conatu tria maxime eſt conſecutus; magnam lau-
dem; magnam expectationem; certã ſempiternorum, inæ-
ſtimabiliumque à Deo præmiorum ſpem. Tanta eſt enim Dei bonitas, vt rectam
hominibus mentem immitat; vt exſuſcitet animos; vt ad rem gerendam incẽdat;
vt bene gerendi rationem oſtendat; vt viam muniat; vt conatus adiuuet; vt ſi
quid grauius patiatur obſiſtere, ſuorum ſcilicet virtutis exercendæ, atque illu-
ſtrandæ cauſa; tamen vbi illi omnia fuerint periclitati, voluntatem pro re acci-
piat; vt cum ipſe denique det velle, & perficere pro bona voluntate; ſua ipſius
munera, atque in nos beneficia, ò miram bonitatem, perinde quaſi noſtra in ſe ſa
officia amplectatur, remuneretur que. His igitur nominibus gratulatur Duci Sã
ctiſſimus dominus noſter, & præſentis gloriæ fructum, & repoſitorum eius pie-
tati à Deo præmiorum longe vberrimam perennitatem: neque dubitat, quin ma-
iores indies ex eius virtute fructus ſit percepturus; ſic enim poſtulat maiorum
ipſius gloria, expectant boni; flagitant tempora; exigũt ſumma Dei in eum be-
neficia, pollicetur optima ipſius natura, & pietas ſingularis. Quid enim ſibi
vult quid aliud loquitur legati o hæc tam honorifica; tam vera ſuperiorum Ducũ
Apoſtolicæ poteſtatis cultus commemoratio? tam teſtificata Caroli ipſius
ſanctiſſimo Domino noſtro obediendi profeſſio? Sunt hæc, cæteraque omnia, quæ
ſunt de illius voluntate, ſtudio, expectatione, prudenti, diſerta, graui oratione
explicata, magna atque illuſtria illius pietatis documenta. Quæ quidem Sãctiſ-
ſimus Dominus noſter vnà cum his venerabilibus fratribus ſuis ſanctæ Roma-
næ Eccleſiæ Cardinalibus agnoſcit, amplectiturque libentiſſime. Pollicetur Duci
viciſſim. defertque omnem caritatem, auctoritatem, operam, ad omnia, quæ ad
ipſius amplitudinem, & gloriam pertinebunt, precatur ei, filioque quo nuper eſt
auctus, coniugique, & Regij generis maieſtate, & heroicarum virtutũ præſtan
tia ſpectatiſſimæ, omnem felicitatem.*

Z
1174.5
39 862213

B

1146.29

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google